



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Trigesimum Primum. Encomium Marianum Trigesimum Octavum,  
Nonum et Quadragesimum. Regina Patriarcharum, Prophetarum Et  
Apostolorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

CAPUT TRIGESIMUM  
PRIMUM.

*Encomium Marianum Trigesimum  
Octavum, Nonum et Qua-  
dragesimum.*

REGINA PATRIARCHARUM,  
PROPHETARUM  
ET  
APOSTOLORUM.

**R**eginam Patriarcharum, Prophetarum  
ac Apostolorum Virginem sacratissi-  
mam appellare ac salutare Ecclesiam quid  
mirum? si enim ipsa est cœli terræque Im-  
peratrix ac Regina, utpotè filium habens  
cœli terræq; Dominum ac Imperatorem,  
utique & Regina erit omnium huic Regi  
ac Domino, subditorum Angelorum,  
Patriarcharum, Prophetarum, Apostolo-  
rum, denique Sanctorum omnium. Causæ  
tamen speciales, cur Regina Patriarcha-  
rum &c. nuncupetur, hanc esse reor: quot  
singulari excellentia, omnium Patriarcha-  
rum,

rum, Apostolorum, Virginum, aliorumq;  
Sanctorum virtutes in ea reluceant: *Omni-  
bus enim alijs Sanctis per partes, MARIÆ to-  
ta se infudit gratiæ plenitudo.*

## §. I.

**A** Singularibus virtutibus magnos Pa-  
triarchas *Abraham, Isaac, Iacob ac Io-  
seph* commendat *Ambrosius*: in *Abrahamo*  
devotionem, obedientiam, ac in divinam  
voluntatem suæ voluntatis resignatio-  
nem: singularem in *Isaaco* sinceræ mentis  
puritatem: in *Iacobo* patientiam in adversis  
occurrentibus generosam: in *Iosepho* casti-  
monix amorem præcipuum. *Abrahamum*  
siquidem commendans: *Magnus plane vir  
Abraham & multarum virtutum clarus insi-  
gnibus, quem votis suis Philosophia equare  
non potuit. Itaq; cujuscumodi fuerit in eo viro de-  
votio consideremus, hanc enim primam ab eo e-  
xegit Deus dicens: Exi de terra tua, & de cogna-  
tione tua, & de domo Patris tui: satis erat di-  
xisse de terra tua, ibi enim erat exire de cogna-  
tione, exire de domo paterna; sed ideo addidit  
singula, ut ejus affectum probaret, ne forte aut  
imprudenter cœpisse videretur, aut fraus ali-  
qua mandatis cœlestibus pararetur. Tentatur ut  
fortis,*

*fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus,*  
*meritoque exiit quemadmodum præcepit illi*  
*Dominus. Magna profecto Abrahami in o-*  
*bediendi & suam voluntatem in divinam*  
*resignandi promptitudo: dum ad unicum*  
*Domini mandatum, nihili faciens faculta-*  
*tes, nihil parentes, & domum patris sui, ni-*  
*hil deniq; consanguineos; terram, cogna-*  
*tionem suam & domum patris reliquit: ac*  
*longe major ejus resignatio, & in obedien-*  
*do promptitudo: dum unigenitum suum*  
*sibi toties repromissum, contra naturæ le-*  
*ges natum, in qua tota posteritatis erat spes*  
*collocata, proprijs jussus est jugulare ma-*  
*nibus, & Deo in holocaustum offerre: illa*  
*probatio, hæc autem fuit tentatio: ita claris*  
*verbis Ambr. Et sanctum Abraham ait proba-*  
*vit ante, & sic tentavit ne si ante tentaret quã*  
*probasset, gravaret. Probavit eum cum exire*  
*de Haran jussit, & obedientem reperit. Pro-*  
*bavit cum fidei titulo fretus libera vit nepotem*  
*cum de præda nihil attigit, cum promisit seni fi-*  
*lium, & cum esset centum annorum, quamvis*  
*Saræ genitalia consideraret emortua tamen cre-*  
*didit nec fide hæsitavit, qui posset hæsitare ra-*  
*tionem sterilitatis aut senectutis: probavit cum*

*hospitij fidelitate. Probatum igitur quasi fortio-  
rem, tentandum putavit majoribus, & quibus-  
dam imperijs durioribus. Igitur tentationem  
& ei correspondentem Abrahami obedien-  
tiam videamus: Et dixit Deus ad eum, Abra-  
ham, Abraham: quot verba tot mysteria: Repe-  
titione nominis mentem excitat, ut esset para-  
tior: denique respondit illi. Ecce ego, & dixit:  
accipe filium dilectissimum quem diligis Isaac,  
& vade in terram excelsam, & offeres mihi il-  
lum in holocaustum in uno montium quem di-  
xero tibi. Non sinit otiosum esse affectum Pa-  
tris. A principio eum stimulat & pungit pieta-  
tis aculeis & filij nomen addit, ad nomen neces-  
situdinis, & vim amoris. Non satis putavit esse  
dixisse filium, adjungit amantissimum, quem  
diligis Isaac. Nec otiose addit nomen Isaac, hoc  
est eum quem suscepisti de uxore unicum, susce-  
pisti in senectute, suscepisti tanquam fidei tue  
premiu[m], remunerationem operum tuorum,  
suscepisti ex promissione Dei, non conjugis fœ-  
cunditate, ex qua alium sperare non possis. Offe-  
res in holocaustum, sed prius vade in terram  
excelsam. Interponitur spatium ne precipitari  
subito videatur affectus Patris, ut illa dilatione  
obrepat gratia pietatis, desiderium Patris. Ad-  
jecit in*

jecit in uno montium quem tibi dixero. Et hic similiter ut dum ascenderet senex, infringere-  
 tur impetus, lassaretur dextera, deficeret inten-  
 tio: dum quereret montem discere, dedisceret  
 apparatus. Nec tamen tot inter tentationes tot  
 occasiones afflictionis quibus torquebantur Pa-  
 tris viscera titubavit fides Abrahami, mansit  
 prompta, & ceca ejus in divinam voluntatem  
 resignatio & obedientia. Sed si jã huic heroï-  
 co Abrahami factò, tam magnanimæ ejus  
 obedientiæ & resignationi, divinam vir-  
 ginis sacratissimæ resignationem, ac obe-  
 dientiam, & in divinam voluntatem tota-  
 lem abdicationem, comparare voluerimus  
 utique hanc tantum excellere ac excede-  
 re Abrahami aliorumque Patriarcharum re-  
 signationem, cæterasque virtutes videbi-  
 mus ut merito Reginam Imperatricemq;  
 Patriarcharum ab Ecclesia salutatam asse-  
 ramus. Tanta etenim fuit huius sacratissimæ  
 Virginis in divinam voluntatem resignatio  
 tanta conformitas, ut ea verbis vix expli-  
 cari possit: mirum quid, summe obstupef-  
 cendum, ac vix credendum à pijs auribus  
 asserit *Archiepisc. Florent. S. Ant.* è familia  
 Dominicanorum ad eam dignitatem as-

sumptus *parte 4. tit. 15. cap. 41. §. 1. O Domina*  
*inquit ad Bñam Matrem ita divine volun-*  
*tati conformis fuisti, ut audeam dicere si nullus*  
*fuiſſet qui filium crucifigeret, ut adimpleretur*  
*voluntas Dei, ipsa illum in cruce poſuiſſes, &*  
*clavis affixiſſes. Neque enim minoris te obedi-*  
*entia fuiſſe credendum, quam Abraham qui*  
*proprium filium proprijs manibus Deo obtulit,*  
*occidendum, & comburendum. Idem ſentit*  
*Cancellarius Pariſienſis Gerson: Ipsa ait ſi Deus*  
*id juiſſet, filium crucifixiſſet: impleſſetq; quod*  
*de cœleſti Patre aſſerit Apoſtolus Paulus, pro-*  
*prio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis o-*  
*mnibus tradidit illum. Profecto ſi tantum*  
*juxta crucem ſtantem conſideremus; utiq;*  
*facile ejus in divinam voluntatem reſigna-*  
*tionem cognoſcemus: mirum eam non ex-*  
*animem concidiſſe, dum dilectiſſimum*  
*ſuorum viſcerum, quem de Spiritu ſancto*  
*ſe concepſiſſe noverat, ante ſe de cruce in*  
*ſublimi pendentem conſpexit: Date Ma-*  
*trem quæ hæc talia in unico filio eoque a-*  
*mantiffimo cogatur cernere, cujus tamen*  
*cor mœrore non contabeſcat. Quomodo*  
*igitur Virgo ſpectaculum tam infandum*  
*in unigenito ſuo exhibitū, & oculis & auri-*  
*bus ex-*

bus excepit? Et tamen stetit, tamen animo non concidit: unica atque una resignationis virtus in statu Matrem tenuit: imo probabilissimum est virgineam hanc Matrem quod per omnem vitam consueverat tum maxime obiisse: indubie ad omnia illa tam oculorum, quam aurium, acerbissima vulnera illud assidue secum ingeminasse: *Ita Pater, ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, secundum voluntatem tuam:* nec minor in ea fuit castitatis mentis sinceritatis, patientiæ, aliarumque virtutum in Patriarchis reluctentium excellentia quas in alijs Encomijs *Virgo virginum, Virgo potens, &c.* attigimus.

§. 2.

**N**Ec solum Regina Patriarcharum sed & Prophetarum Virgo sacratissima appellatur: utique quia non minus quam alij Prophetæ spiritu prophetico ipsa prædita fuit: insuper quia frequentissima de ea Prophetarum oracula prænunciata sunt: & teste D. Hieronymo in serm. de Assumpt. B. Virg. *Ipsa divinis angelicisque præconijs laudata ac prædicata, à Patriarchis quidem*

figuris & enigmatibus præsignata, à Prophetis autem prænunciata, ab Evangelistis exhibita, & demonstrata: ab Angelo venerabiliter atque officiosissime salutata. Quod enim à Prophetis prænunciata constat: quam enim Salomon requirebat dum sollicitus & admirans exclamabat: *Mulierem fortem quis inveniet quam aliam nisi MARIAM*: Quid etiam *Rubus ille Mosaycus* protendebat, flammam quidem emittens sed non ardens nisi *MARIAM* parientem, & dolorem non sentientem? quid *virga Aaron florida* non tamen humectata, nisi *MARIAM* ipsam concipientem licet virum non cognoscentem? quid etiam illud *Gedeonis vellus*, quod utiq; ut ait *Fulbertus Carnotensis de carne, sed sine carnis vulnere tonsum area ponitur*: & nunc quidem *lana*, nunc *area rore perfunditur*! nisi carnem assumptam de carne Virginis & sine detrimento virginitatis? quam denique aliam prædixit *Evangelicus Propheta Isaias* cum egredietur inquit *virga de radice Iesse & flos de radice ejus ascendet*? Et iterum *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.* Quam hanc superbenedictam Virginem? confirmat jam dicta *Abbas Rupertus lib. 1. in Cant. Inter ceteros in-*

ros inquit odores unguentorum quibus perfusa es, prophetia fragrasti etiam longe antequam nascereris, Hoc enim senserat propheticis naribus ille qui dixit: & accessi ad prophetissam & concepit & peperit filium. Numquid ille solus ad te accessit o Prophetissa fidelis? Imo Prophetæ omnes ad te accesserunt, quia prophetie omnium & scripturæ omnes in tuum sensum cum superveniente in te Spiritu sancto convenerunt. Amplius autem eam veram fuisse Prophetissam testatur quoque lib. 6. in Cant. considerans hæc verba Prophetæ Isaie: Et accessi ad Prophetissam & concepit, & peperit filium. Tu inquit o dilecta es illa Prophetissa, ad quam accessit omnis sanctus & fidelis Prophetæ: ad quam tendebat, & in qua completa omnis sancta & fidelis Prophetia. Et Basilius in expositione eorundem verborum Isaie cap. 8. post init. quod MARIA inquit Prophetissa fuerit ad quam proxime accessit Isaias per prenotionem Spiritus, nemo contradixerit: qui sit memor verborum MARIE, quæ prophético afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam

*me dicent omnes generationes. Quod animum accommodaveris universis eius verbis, non utiq; contentiose negaveris eam fuisse Prophetissam; quod Domini Spiritus in eam supervenerit & virtus altissimi obumbraverit ei. Cui etiam subscribit Seraphicus Bonavent. in suo Mar. Psalt. Et tu inquires Prophetissa Dei vocaberis quoniam quod novisti respexit humilitatem Ancille sue.*

§. 3.

**D**Enique Regina quoq; *Apostolorum* dicitur Virgo sacratissima, nimirum quia illorum in omnibus post filij sui in cælum ascensionem directrix, instructrix, informatrix: tunc mysteria ab Apostolorum adhuc cordibus abscondita, pro eorum ac aliorum fidelium informatione ad lucem retulit: tunc ea quæ hactenus in corde suo conservaverat, & ruminaverat pro aliorum salute publica fecit: merito ab *Abbate Ruperto, Magistra Apostolorum* nuncupata: *Horum* inquit *Rupertus discernendorum*, utique *te magistram esse oportebat, ô magistra Apostolorum quæ es fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illos docuit, idcirco tue*  
*vocis*

vocis magisterio illis opus non fuit? immo vox  
 tua, vox illis fuit Spiritus sancti, quidquid  
 supplementi opus erat eisdem mortalibus vel  
 testimonij, ad confirmandos singulorum sensus  
 quos acceperant, ab eodem Spiritu dividente  
 singulis prout vult, ex religioso ore tuo percepe-  
 runt instructo, ad loquendum bene composito,  
 ad tacendum prout tempus erat opportunum.  
 Et item lib. 5. explicans verba qualis est dile-  
 ctus tuus &c. Opportuna inquit valde percun-  
 ctatio, si respiciamus ad illa tempora de quibus  
 nunc agimus, quando tu o dilecta propter Evan-  
 gelium dilecti presens aderas, & in corpore de-  
 tinebaris, magistra necessaria testis valde ido-  
 nea: pulsandum enim tunc erat, ad ostium ve-  
 ritatis & consulendum oraculum Spiritus san-  
 cti, scilicet sacrarium pectoris sui: ut viva voce  
 omnem necessariam tenendam demonstrares  
 regulam fidei, cum testimonio scripturarum,  
 quas memoriter tenebas Prophetissa magna &  
 capax omnium scripturarum Prophetarum si-  
 ve prophetiarum.

CAPUT